

centes, mortale peccatum esse in ratione: veniale autem in sensualitate.

41. Item: venialia peccata per se non esse contra legem Dei, nechabere rationem peccati: igitur non opus esse de illis contritione: nec impedire ea perfectionem obedientiae renatorum in hac vita.

42. Errant, qui fingunt, gratiam semel acceptam non posse amitti.

43. Item: qui statuunt, cum, qui labitur in peccata mortalia, nunquam habuisse fidem, aut Sp. S. Quo modo plantatur dubitatio in animis omnium hominum: siquidem omnes sapienter labimur.

## DISPUTATIO XX.

## DE ECCLESIA.

## THESIS I.

**D**isputatio de Ecclesia & utilis est, & summa necessaria: 1. propter Papistas, Ecclesiae titulo & autoritate traditiones suas defendentes: 2. ob fanaticos, qui se veram esse Christi Ecclesiam gloriantur. 3. Ne putetur Ecclesia esse colluvies quarumvis sectarum.

4. Ne Ecclesia aestimetur, vel ex majorum pietate & doctrina, à qua tamen posteri desciverūt: vel 5. ex multitudine, & majore parte hominū. 6. Ne securitas alatur eorum, qui se nulli cœtui conjungunt, nullam Ecclesiam curant,